

gratia præscribuntur. Evacuationis, si in ventriculo humores continentur, qui vel in ventri-  
lo alimenti vitio geniti sunt, vel in ipsum ex aliis  
partibus confluxere. Reversionis gratia utimur in  
affectibus articulorum inferiorum, vt dolore i-  
schiadico, podagrico. Renum item & aliarum in-  
feriorum partium affectibus. Oblunt autem pa-  
ribus superioribus, vt capiti, oculis, si ex consen-  
su ventriculi non afficiantur. Pulmoni & thoraci  
non conueniunt propter periculum ruptionis a-  
licuius vas. Commode etiam in principio acces-  
sionis febrium putridarum usurpantur. Prosunt  
quietiam ad epora venena educenda, ubi pur-  
gantia, cum secum vim deleteriam per corpus ve-  
hant, minimè conueniunt. At post fungorum  
venenatorum, qui strangulando nocent, esum,  
non vomitoria, sed purgantia prosunt.

Veteres frequenter vomitoria, maximè in  
diuturnis & contumacibus affectibus, exhibe-  
bant, vomitorio ex helleboro albo confecto.  
Solebant enim singulis mensibus semel vel bis  
vel saepius etiam vomitoria sumere. Sunt autem  
vomitoria diuersa: Alia enim laxando, os ven-  
triculi sinistrum, quod superius vulgo vocant,  
vomitum excitant, cuiusmodi sunt oleosa &  
pinguis: quare communissimum est, ad imi-  
tationem Galeni &, hydræcum, id est, aqua  
tepidâ cum oleo ebbita. Alia humores incidunt,  
attenuant, detergunt, vt est oxymel, syrpus a-  
cetosus. Alia humores ad superiores ventriculi  
partes attrahunt, vt est hellboti albi radix:  
Sed non nisi in robusto corpore helleborus,